



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Ærumna XIII. Ex fame & siti Justitiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

familiari-
tatem pec-
nisentium,
quàm in-
nocentium.

cis, non minùs desideras familiaritatem, & amorem animarum
conversarum, quàm innocentium. Qua hora se Magdalena pec-
catrix projecit ad tuos pedes cum lacrimis, tu illam es amplexus
cum titulo amantis; ac brevi inter tuos promotam, ad caput ungen-
dum admissa est. Paulus persecutor, quam primùm ostendit, se ti-
bi velle obedire, pro schola sua cælum, ac te ipsum habuit pro Ma-
gistro, túque inhabitare cœpisti cor ejus. O Vita cordis mei! eleva
ad te hunc Spiritum meum abjectum: amplector tuos divinos pe-
des, Amor animæ meæ! Cupio te amare, bone Jesu! cupio te ama-
re, tibi servire, ac totus esse tuus. consumantur peccata mea in
abyssu misericordiæ tuæ, ut nulla supersit eorum memoria. Est, fa-
teor, Domine, tam fœda hæc anima, ut non possit comparere co-
ram oculis tuis divinis, nescit custodire se ipsam; & hinc vitijs in-
numeris conspurcatur. Sed quod tu curas, quid poterit lædere?
quod tu ædificas, quis evertet? quod tu conjungis, quis divider?
quod tu amas, quis terrebit? Tam tua est hæc anima, quàm ullius
è tuis charissimis. Ego te amo, Domine mi! si me ipsum aspiciam,
fugere debeo: sed aspicio te, æterne Inhabitor beatorum Spiri-
tuum, te desidero, ad te mea interiora suspirant. Tecum vult uni-
ri cor meum: tu consumes, quid quid in me tibi non placet. Te-
cum omnia potero & nihil timebo, Deus meus, opulencia mea,
gloria mea, & tota felicitas mea!

O Mater DEI & peccatorum, fidelis socia laborum tui unige-
niti! quia tu sola nullum fecisti peccatum, miserere hujus peccato-
ris, qui desiderat servire Filio tuo: fac, ut obtenta remissione id con-
sequar. O Cives superni hujus sanctæ Civitatis cælestis, etiam pro
peccatoribus conditæ, admittite me cum hoc meo desiderio, ut
nulla res terrena me separet à vestra societate. Amen.

ÆRUMNA XIII.
Ex Fame & Siti Iustitiæ.

I.

Fames &
Sitis iustitiæ



Anti fecit Deus Famem & Sitem Iustitiæ, cum qua
vivunt Iusti & Sancti, qui verè de siderant placere sua di-
vina

vivæ Majestati; ut reponat eam inter summas virtutes evangelicas, per quas certior & securior est via ad beatitudinem. Per Justitiam intelligendo sanctitatem virtutum, & observantiam legis ac doctrinæ celestis, quæ justificat animas, avocat à peccato, convertit ad Deum, illuminat, purificat, ac præparat ad perfectum amorem DEI, & recipienda bona æterna: tantique est hæc Fames & Sitis ferventium desideriorum sanctitatis & virtutis, ut non videatur posse remunerari, nisi maximo, quod Deus dare potest. Nam quia Deus pro præcipua dispositione ad dona sua requirit ardens desiderium, & hoc non satiatur largitione donorum ejus, sed magis accenditur, ut desideret amplius; ideo non assignatur ei aliud præmium, quàm satietas: *Beati, quoniam ipsi saturabuntur; videlicet* *Math. 5. 6.* non alia re, quàm ipsam beatitudinem, in qua Deus amatur, eique servitur sine imperfectione, id quod unice desiderant justii.

II. Duplex autem est hæc fames: una propriæ justitiæ, quæ quis desiderat animum suum liberare à rebus terrenis, avellere amorem ab his putridis, quorum pestifero gustu capitur, & impendere illum soli DEO: altera alienæ, ut omnes animæ faciant id ipsum. Et hæc oritur ex priora, tantoque fit major, quanto prior in amore DEI magis accenditur. Præmium prioris est idem cibus, quo Christus sustentabatur, qui dixit: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me:* & potus idem: de quo dixit, oriturum in cordibus fidelium fontem aquæ vivæ, salientis in vitam æternam: quia animæ esurientes sanctitatem, quæ carent, humiliter submitunt se, & acquiescunt voluntati divinæ, atque ita cum gustu exercent bona opera, in omnibus illam implendo pro viribus, isto quasi cibo se sustentantes; & crescentes in fervore amoris divini, plantant virtutes gratia ubere, velut aquam vivam semper ad caelestia saliente, rigati, donec plena tandem satietas in vita æterna sequatur; in quam multo magis reservatur præmium posterioris famis alienæ justitiæ. Nam in hac vita regnat passim tepiditas charitatis, & vitiorum propago: unde saturari hæc fames non potest, nisi ubi desunt vitia, quæ eradicentur; ac tepiditas, quæ inflammatur; ac defectus bonorum spiritualium proximi; quod fit, ubi ea jam possidet.

V

III. Hæc

*Hac fames
ac sitis la-
boris & fa-
stidii plena
est.*

III. Hæc est ex earum virtutum numero, quæ Sanctis plus creant laboris & fastidii: nam quoad se ipsos, totus eorum labor est in eradicando amore terreno, & vitiis, ad quæ inclinatur natura; nec est, quod magis fatiget, quàm vincere se ipsum, & mortificare suam carnem, ut satisfiat desiderio Deum amandi: & quanto hoc majus, tantò major & labor est, quem idcirco suspiciunt: nec ad aliud opus est majore patientiâ, quàm ad sufferendos defectus propriæ infirmitatis, ac stimulos, qui sentiuntur in inclinatione naturali contra desiderium DEO placendi in omnibus, & exactè præstandi, quod exigit; semper enim ad hoc urgetur interius. Quo ad salutem aliorum, posteaquam cœperunt Deum diligere toto corde, crescit in eis lux & cognitio, quantum Dominus esset amandus: ex quo plurimum dolent eorum interitu, qui degunt in peccatis, & ardent continuo desideriis immensis, videndi omnes subjectos legi divinæ; nec sentiunt minùs, quòd alii longè ab hoc absint, quàm quòd ipsi quondam in eodem statu fuerunt. Et quia hæc utraque fames tanti constat Sanctis, assignatur eis præmio satietas, tanquam refocillatio quædam defatigatorum, ut notat S. Augustinus; qui addit, huic fami respondere donum fortitudinis: quia magna fortitudine opus est ad eradicandum amorem terrenum, & qui captus est amore DEI, indiget, ut Spiritus sanctus ei det magnas vires ad sufferendum dolorem ex perditione aliorum, ac superandos labores in procuranda illorum salute, sine cura damni temporalis, despectuum, & ipsius adeò mortis. Atque ita virtus hæc est origo, & summa omnium heroicorum & gloriosorum conatum, quos adhibent Sancti ad placendum Deo, & auxilium proximi.

*Hac sitis
Domini
tanto fuit
gravior,
quanto ma-
gis amabat.*

IV. Quod in hac virtute maximè laboriosum est, fuit in Christo: nam juxta mensuram sui amoris ardebat continua fame, ac siti ferventissima videndi, ut omnes obedirent legi DEI, sequerentur virtutem, plantaretur in cordibus hominum Spiritus DEI, cresceret ejus cognitio & amor, & finem haberent peccata. Nec minor fuit hic sensus, quàm si ista sibi met ipsi deessent; atque ita non minùs accinxit se ad ea comparanda: quia omnia nostra bona, & mala, magis pro suis habuit, quàm pro nostris. Quod desiderium
à sua

à sua conceptione duravit usque ad ultimum spiritum. S. Paulus, qui non nisi unam scintillam habuit hujus immensi ignis, qui ardebat in pectore Domini de se ipso scribit, infirmari se solitudine omnium Ecclesiarum, & uri scandalis; neque se suum jam esse, sed urgente charitate Christi totum esse aliorum; quidquid pateretur, bene collocatum putare propter Electos: & licet versaretur in summis ærumnis, nescire tamen se, an non expediat potius manere in illis, quàm liberum abire ad Christum: & quamvis eum sic amet, ut nullis malis possit avelli ab eo, tamen propter aliorum salutem libenter se ipsius aspectu carere. Quid de ipso dicere poterat Christus, quem amor æternus traxit in terras, desiderio nostræ salutis? quid omnibus illis annis, cùm degeret in summa fame & siti iustitiæ hominum, quorum omnia peccata à condito mundo habebat semper ob oculos, ac ponderabat suâ divinâ Sapientiâ, indolens eis conformiter suo amori erga nos immenso, summèque desiderans eos ex illis eripere? Sanè versabatur in continuo tormento & afflictione, ut dicere possimus, eum obiisse tot mortes, quot videbat peccata & quot animas, quas desiderabat salvare: pluris enim ducebat earum salutem, & quamlibet offensam DEI, quàm propriam vitam, offerens eam pro singulis, faciendo quantum erat in se; licet non omnes morte suâ juvandi essent: quæ majoris erat ipsi doloris materia.

V. Consideret ergo quisque, cùm DEUM offenderit, quantum debeat huic Domino, qui tantopere doluit nostris peccatis, quæ tam facile, & pro libitu committimus; & omnia nostra damna & lucra, ut sua accepit. Quod quia satis capere non possumus, donec obtineamus purum amorem ipsius, tantisper exemplum aspiciamus parentum, qui cùm omni cura & amore educarint suos liberos, si videant, eos vanitati, malis sociis, & cupiditatibus indulgere, nullam admonitionem curantes, maximum inde dolorem concipiunt. Ita DEUS queritur sæpe per suos Prophetas, quòd amorem sibi debitum conferamus in res noxias, fugiamus ipsum, & laborare faciamus in peccatis nostris. Tantò majore ratione queritur hoc DEUS, quantò majore charitate nos diligit, quàm ulli parentes filios suos. Summus profectò pudor noster est,

*Domini
IESU dolor
nostris
peccatis*

*Signum re-
probi amif-
sio gustus
rerum ca-
lestium.*

*Eccle. 2.
vers. 8.*

videre angustias, & anxietatem cordis Christi pro nostra salute, tantum desiderium nostræ felicitatis; & contra fastidium & horrorem nostrum à veris bonis, insanam verò cupiditatem rerum terrenarum, quibus delectamur magis, quàm DEO. Nec invenitur certius indicium reprobæ animæ, quàm si perdiderit gustum omnium rerum cælestium. Etenim DEUS indidit facultatibus corporis, & animæ certum gustum rerum sibi convenientium, ut eas magis desiderando, majore gustu recipiant, & majore fructu eis gaudeant. Hinc dicit scriptura. *Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur*: Idem de stomacho dixeris, quòd fames ac sitis faciant comedere & bibere cum gustu; & sic de aliis sensibus. Nec majus est signum destructi sensus, quàm si non appetat, neque degustet rem sibi propriam; quia ut eam non desiderat, ita nec recipit, nec digerit. Sic & anima, quæ satiatur solum æternis, occupato terrenis affectu, perdit appetitum & gustum cælestium, sed ea nauseat ac refugit, certo damnationis secururæ indicio. Vocatur hoc vitium insensibilitas: de quo DEUS queritur per Prophetas, se clamasse, nec esse auditum; castigare, nec sentiri; homines velut insensatos ruere ad interitum, sine pavore; perdere DEUM, neque curare; ducere in bonis temporalibus, sine memoria ac desiderio æternorum, dies suos, & in puncto ad inferna descendere.

*Insensibili-
tatis reme-
dia*

VI. His, donec DEUS misereatur eorum periculosi status, & suavi influentia suæ lucis & amoris eos elevet ad majora, tria interim suafero. Primò, ut saltem laudent, probentque virtutem, ubi eam viderint, licet ipsi nondum sequantur; ac semper faveant virtuosis; ne ex odio virtutis incipiant eam etiam persequi, socii dæmonum facti. Ac sæpe DEUS, videns eos approbare, quod per infirmitatem præstare ipsi non possunt, misertus dat gratiam, ut paulatim assurgant. Secundò, reprehendant ac detestentur duritiam sui cordis, cum vident bona, quæ faciunt alii; sic enim non penitus amittent lumen & amorem DEI, nec securè vivent in peccatis. Tertiò agant libenter cum servis DEI de rebus divinis; nam eorum dictis & exemplis emollientur paulatim. Sique dederit DEUS aliquid luminis, legant, vel considerent vitam Christi, & mul-

& multiplicem obligationem, quam habent: quod erit efficacissimum ad excitandum desiderium animæ, & amorem bonorum reclusorum in Christo. Et hi, quibus Majestas divina largita est ardens desiderium ipsam diligendi, observent bene se ipsos, & invenient, quòd Deus non cesset pulsare cor illorum interiùs, & indicare continuò, quid petat ab eis; quod signum est eum insidere interiora ipsorum; cui proinde fideliter obtemperent, sinantque sereri ab illo; ne per exiguam curam suam & negligentiam, desideria gustusque terreni subintrent, ac fiant posteriora pejora prioribus. Recordentur, Deum noluisse in altari suo ardere ignem, nisi datum de cælo: quem quidem tantùm bis dedit, initio sub Moyse in deserto, postea sub Neemia reversis ex captivitate Babylonica: toto reliquo tempore conservârunt eum lignis identidem subjectis, ne unquam extingueretur. Sic desiderium Deo placendi, ac fames justitiæ suæ & alienæ, divinitus accendi debet in corde, sed ali ardentibus suspiriis, ferventibus precibus & bonis exercitiis: quibus neglectis abit in cinerem, & extinguitur; neque recuperatur, nisi magno labore. Et ut Neemias aquam crassam, in quam versus erat primus ignis, infundens victimis expectavit, donec sole, qui tunc obnuptus erat, relucente accenderetur divinitus: ita modicum vestigium prioris desiderii si offeratur DEO humiliter supplicatione perseveranti & continua, tandem DEUS permovebitur, ut respiciens pœnitentiam misericorditer reaccendat.

VII. Ex hac fame ac siti Justitiæ nascitur sacer zelus, necessarius homini Christiano, sed valde difficilis ut exerceatur discretè. Nam in eo situm est omne bonum, vel detrimentum animæ: magna proinde cum consideratione est exercendus: quia in externa specie magnam affinitatem habet cum ira & indignatione, & facilè declinat in excessum, ut plùs noceat, quàm profit: ex altera parte, quia pro fine habet obsequium DEI, & salutem animarum, fit, ut quidam ferventiores, apprehensa gravi obligatione prosequendi hunc finem, non attendant locum, tempus, occasionem, aut spatium agendi, quod observat Supremus Zelator omnis nostri boni. Unde turbatâ harmoniâ non est nisi mera dissonantia, sæpe cum notabili damno animarum, & honoris divini. Sed ipsum

Zelus discretus.

nomen zeli suggerit, aliquo modo convenientem moderationem, & aliquas condiciones ipsius. Etenim zelus in materia amoris, è quo nascitur, est cura conservandi bonum, & removendi quidquid potest illud destruere, vel immutare: & hæc oritur ex amore & æstimatione rei amatae. Ergo sanctus zelus oritur ex vero amore DEI & virtutis, & ex æstimatione gloriae DEI, ac spiritualis profectus proximi. Atqui de amore DEI, & proximi dicit Apostolus: *Charitas patiens est, benigna est; non emulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambiciosa, non querit, quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Omnes hæc sunt condiciones zeli sancti. Primum ergo Zelator amet DEUM & proximum: ac tum quærat honorem DEI, ac bonum proximi. Sed initium faciat ab honore DEI, zelando in se ipso, removendo, quæ illum in se ipso impediunt; pauca in proximo: quia dissimulare mala suæ animæ, & mederi velle alienæ; esse circumspectum in rebus sui honoris & commodi, præcipitem verò in alieno, monstruosus zelus est, parùm proficit, malèque recipitur, & abit in excessum rigoris, indignationis & iræ. Hanc regulam Christus dedit Zelatoribus legis in casu adulteræ, *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Neque enim convenit, ut alium lapidet, ipse lapidandus. Ergo qui zelat, proprii honoris rationem habere non debet, aliàs zelus in ambitionem vertetur. Compatiatur malis alienis, nec per nimium rigorem poenitentem rejiciat, & non amplius ad debitam conversationem aut honorem admittat; sed adhibito remedio, illum juvet, foveat, honoret. Judicet se pejorem eo, quem vult emendare; ne amor ejus habeatur pro odio, si illum contemnat. Qui ex officio zelum exercent, in majore sunt periculo, ne, dum urgent virtutem, quam ipsi non habent, vel nimis agant remissè, ut minùs possint redargui, vel nimis rigidè, ut videantur zelosi: & parùm omnino proficient, si non sint boni exempli. Expediet ergo, ut, dum sunt superiores, eadem lege vivant, quam aliis imponunt, & faciant ipsi, quod fieri volunt ab aliis: ita nec scandalosi erunt, neque nimis rigidi. Si id non fecerint, non dixerim quidem eos non verum zelum habere; quia Christus, qui sanguine

Conditio-
nes zeli dis-
creti.

2. Cor. 3.

2. Cor. 3.

Ioann. 8.
vers. 7.

Periculum
superiorum.

guine suo redemit animas subditorum, potest eum ipsis largiri in bonum earum: & hæc cum hac fide in ipsum, directionem superiorum ita debent accipere: sed tam hi, quam illi pro exemplo veri zeli inspiciant vitam summi Zelatoris animarum & honoris divini, qui fuit Christus Dominus; in ea videbunt doctrinam perfectionis & veritatem, sine respectu personarum; summam constantiam & patientiam in supportanda ruditate ac tarditate eorum, quos docebat; maximam suavitatem in attrahendis ac diligendis peccatoribus: placidissimum animum in dissimulandis offensis, & benefaciendo his, à quibus offendebatur; & cum esset innocentissimus, ex zelo divini honoris accepit in se, sine certa mensura & pondere, omnem rigorem, & quidquid voluit, in animabus effecit cum amore & suavitate, beneficiis cumulando eos, qui minimè promerebantur. Unde qui in zelando non clarissimè monstrat amorem Christianissimum, suâ culpâ fit omnibus odiosus, & multum laborat exiguo fructu.

EXERCITIUM

Circa Famem ac Sitem Iustitiæ.

I.

O Fons & Mare supernorum & infinitorum bonorum, ad quem omnes meæ necessitates, etiam ignotæ mihi, suspirant: infinitas tibi gratias ago, quòd me feceris tam' egentem bonorum, ut meæ continuæ miseriæ me cogant continuò ad te recurrere. Quid est in me Domine DEUS, quòd non suspirer ad te, licet ipse id nesciam? Quia omnia bona procedunt à te; cælestia, quia includuntur in te; terrena, quia dispensantur tua manu divina, quæ attendit necessitates, in quibus me vivere voluisti in hoc exilio, tam corporales, quam spirituales. Ab hac divina & liberali manu petunt oculi mei lumen ad videndum, sine quo essent in tenebris; ab hac petit corpus auram ad respirandum, cibum in fame, aquam in siti, sanitatem in morbo, diem ad opus, noctem ad quietem, vires ad motum, successum in negotiis, opem in omnibus necessitatibus, quibus est semper circumdatum, & in quibus tanquam sibi propriis, nascitur, vivit, ac moritur; & hæc manus fabricatrix omnis boni,

*Omnes meæ
necessitates
n'stra ad
Deum suum
suspirant.*

boni, dat cuique prout est opus. Quando sum captivus, ipsa me liberat; quando inter hostes, me defendit; quando in periculo, protegit; quando imminet aliquid mali, prævenit; quando per-
Deus noluit mittit evenire, me juvat, ut sufferam: & quando pro meis necessi-
nos ulli al- tatibus maximè sum sollicitus, & immemor hujus potentis ac divi-
teri aliquo d- næ manus, auxilia terrena & humana conquirō; nisi eadem pater-
debere, na manus succurrat, etiam non petenti, nec merito, frustra sunt
quam sibi. omnia: quia noluisti me cuiquam esse debitorem etiam in mini-
 mis nisi tibi: quare totus hic homo terrenus continuo suspirio te
 implorat, & necessitates ejus clamant ad te; quia aliunde juvari
 non possunt. Sed & omnia interiora hujus animæ, ex natura &
 culpa sua egenæ & pauperis, ad quem suspirent, nisi ad te, Deus
 meus? tu me supportas, cum pecco; expectas, dum me pœniteat;
 inspiras bonum; doces me veritatem; das voluntatem, ut velim;
 vires ut sequar; gratiam ut perseverem. Tu mihi das fidem, qua
 te cognosco; Charitatem, qua vivo; Spem, qua te invoco. Fa-
 cultates hujus animæ sine te laborant fame insaturabili; quia tu
 eam solus potes explere: bona spiritualia, quibus ad te elevatur,
 & infinita, quorum fecisti capaces, à te provenire debent; & quanto
 magis disperguntur extra te per diversos affectus, tanto magis flac-
 cescunt ac miseræ fiunt, quia nativo desiderio feruntur ad te, qui es
 perfecta & exaggerata mensura felicitatis earum; quidquid extra te
 quærunt, eas consumit, vastat, ac debilitat; facitque, ut vivant in
 regione famis & miseræ.

II. O divina & perfecta satietas hujus miserabilis naturæ,
 converte ad me istos misericordes oculos, & cum amore restaura,
 quod cum amore creâsti, ac tam fœdè jam vides destructum: quia
 fecisti me propter te solum, ac solus voluisti esse meum verum ac
 proprium bonum. Ita me fecisti, ut omnia mea interiora & exte-
 riora à te dependeant, cujus perpetuò indigent, & omnes inclina-
 tiones meæ corporales ac spirituales mihi serviant ad perpetuam
 famem; ut, dum quæro te, qui es unica, divina ac suprema satietas
 mea, majore fructu te gaudeam, & copiosius tuis bonis omnibus
 implear. O mi Deus, quàm monstruosam rem in me vides, qui, cum
 veritatem hanc credam, agnoscam, & profitear, facio tamen gra-
 naria,

*Vana &
monstruosa*

naria, cellas, penus, & apothecas in animo, & sensibus rerum corporearum evanescentium mihi sub manibus, & fugientium sub dentibus; egóque illis inhio, glutuens aërem; esuriens, sed non te; desiderans, sed non tua bona; tam egenus & pauper, quam me vides. *Melior est dies una tecum in atris tuis, super millia sine te: quia in una die tantum largiris, consolaris, ac fatias, ut omnes vires restaures, omnes necessitates subleves, omnia repleas bonis divinis.* At in omnibus diebus, quibus vixi, dicere non possum me habuisse vel unicum talem; & ut confitear misericordiae tuae, non multos bonos, jucundos ac fortunatos. Sed ex iis hoc mihi superest unicum, ut deplem ac desiderem, si fieri posset, ejicere ex visceribus animae hujus id, quod ex illis mihi reliquum est, quasi virus, interimens veram vitam, qui es tu, mi JESU!

III. O Divina Bonitas, ô misericordia infinita! *Melior est misericordia tua super vitas, multas simul: quia omnes illae sine te, unica & vera vita hujus animae! sunt plenae miseriis; tendunt ad interitum, sine misericordia tua, à qua peto suppliciter remedium horum malorum. Eradica, Domine, ex hac anima amorem rerum vilium & abjectarum, quo tenetur captiva, ut amet te solum.* Appare, Lux vera, huic caecae animae, & illumina tenebras meas, ut videat & cognoscat lutum, in quo volutatur, ac discat desiderare misericordiam tuam. Da mihi, Domine, timorem meorum gustuum; nauseam eorum, quae hactenus desideravi; & nitorem internum, ut possim cognoscere id, quod est aliquid; nec per ignorantiam perdam gustum supernorum, quem das tuis amicis. Heu mihi, pie Domine! quid me fiet, si conferas te rebus, quas loco tui cum fame desidero, & quero, & pro iis te amitto? Quomodo non me nauseabis, & ejicies à tua protectione, & ex ore tuo, sicuti mereor? Doce me, Domine, exercere in me ipso hoc iudicium, & exequi hanc sententiam, ut parcas tu mihi. Non volo, Deus meus, verbis exprimere, neque commemorare vilitatem, indignitatem, profanitatem, turpitudinem, ac vanitatem rerum, quas hactenus amavi & quæsivi cum fame ac desiderio, quod tibi soli debebam; & cum gustu, quem tibi soli servatum oportuit, ne auram ista foeditate memoranda inficiam: sed coram purissimis oculis tuis

X

confiteor,

confiteor, quibus clarissimè cernis meas miserias. Confiteor, me posse convertere ac corrumpere puritatem Angelicam, & omnem aliam creaturam, si tu me ab hoc non defendas & præerves.

Mare miseria implorat mare misericordia,

IV. Tu, mi JESU, qui me perfectissimè nôsti, es Salvator meus, es Redemptor meus, & is, qui suffert ac sanat miserias meas. En, hoc est mare immensum infortuniorum miserabilium, in cuius abyssu hæc tua misericordia possit ostendere magnitudinem suam, & infinitam bonitatem suam. In ea, si me merseris, emergam totus nitidus ac renovatus, ut novo ac tenero amore, & vivo desiderio te quæram & amem. Recordare, Domine, quòd dixeris: *Invoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me.* Ecce diem tribulationis non temporalis; quia hæc mihi plùs prodest, quàm gustus rerum terrenarum; sed periculorum, in quæ me conjecerunt miseræ & mala, quæ vides. Ecce invoco te, Domine, de profundo abyssi, in quo sum constitutus, & unde non possum exire, nisi me adjuves. Audi me, Domine, libera me: purifica desideria hujus creaturæ tuæ, ut cum fame te solùm quærant & inveniant. *De profundis clamavi ad te, Domine: Domine exaudi vocem meam. Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.* Te solum quærant, te inveniant, de te solo vivant, in te solo sustententur, ut puris laudibus te cantent in hac lacrimarum vallè; & in te lætetur anima mea, libera à desideriis rerum terrenarum.

Psal. 49. 65.

Psal. 129. 1.

Vt tollatur impedimentum orationis nostræ,

V. Non potes, mi bone JESU, negare mihi, quod peto; quia scio hoc esse, quod mihi vis dare. Peto autem, ut tollas impedimentum, quod est in me, quo minùs obtineam hæc dona cælestia; licet ipse id non merear, tu tamen concede id amoris tuo, ac desiderio tuo, quo semper meum bonum procuras. Recordare, Domine, quòd, licet mihi nihil omnino debeas, neque ego quidquam promerear; sed per amorem rerum sensualium, quem in me vides & averfariis, potiùs demerear omnem favorem & gratiam; tu tamen per triginta tres annos æstuaveris amorosâ fame ac siti conferendi mihi multas gratias, utendi mecum multis miseracionibus, convertendi me ad te, elevandi ad te & ad opera cælestia desiderium & amorem meum. Recordare curarum & sollicitudinum amorosissimi cordis tui, quas pro meis tepiditatibus offerebas Patri tuo a terno: & quia

& quia hæc fames mei boni te vexavit tot annis, & pro me inclamavit misericordiam tuam, exaudi eam, Domine: da illi hanc satisfactionem in me, largiendo mihi, quod ipsa te rogat.

VI. O vere Amice animæ in omnibus rebus, supple in omnibus nostros defectus. Quando ut homo versabaris nobiscum, & videbas omnes appetitus nostræ naturæ planè corruptos, perverfos, & ad mala tendentes, tu tuos toto vitæ tempore impendebas procurando nobis remedio. Propterea lacrimabantur oculi tui, & aures tuæ ad omnium necessitates patebant: suavissimum os tuum clamabat tota die: & nocte non aliud agebas, quàm suspiria pro salute omnium: instabas tuo Patri æterno: dolebas duritie omnium: cruciabatur hoc tenerum & amorosum cor tuum iis, quæ videbat in omnibus: desiderabas in omnibus accendere amorem divinum, omnisque cura tua erat, ut duraret hic ignis: & si extingueretur in aliquo, magnopere tibi dolebat. Sic laborabas in hac ærumna pro me, & pro quolibet alio, & sic impendebas te totum, ac si tantum esset unicus, & nemo alius, quem curare deberes. Et qui sumus nos, ut tantam sollicitudinem haberes pro nobis? Quid utilitatis expectas à me pro tantis doloribus, & tam inflammatis desideriis, quibus consumebaris? Ah, Domine, quomodo sustines hunc amorem sic affligi, ut non satis ei fiat in me? Amisisti forsan, Domine, tuam potentiam? Quare, Domine, tantam rationem habes mei liberi arbitrii, ut sustineas me perire, ac te pati? Ex hoc momento tibi totum consigno, & volo illud associari tibi in hoc desiderio, quod habes, ut omni modo te amem.

*& labores
Domini pro
salute no-
stra,*

*per liberum
arbitrium
nostrum
non fiant ir-
riti.*

VII. Amo te, DEUS meus, ac desidero te semper magis amare. Faceat à me omnis alius amor, quia tu solus es dignus amari ex toto corde. Cogito hoc esse id, quod tu vis; quia ordinasti, ut sicut, cum aliquid mereor apud te, non aliter possit justè remunerari, nisi te solo; ita nulla res alia possit justè mereri amorem hujus cordis, nisi tu solus. Tu, mi Domine, te ipso mihi solvis, & ego semper me trado his, quæ me digna non sunt. O Domine, quando sic extollis dignitatem hujus animæ, non sinas eam deficere; non decidere. Hic tibi do totum, quod invenitur in ea, & totum,

*cum ille so-
lus merea-
tur amo-
rem nostrum.*

quo tibi possum servire hoc meo corpore. Accipio te pro unico meo bono, accipe me tu pro tuo: serva me, ut tuum, ne amplius me amittas, nec ego amittam te, unicum & verum Bonum meum, unicum & verum Dominum ac DEUM meum.

O R A T I O

Dominica pro Fame & Siti Iustitiæ.

DEVS nos
exaudiet,
quia Do-
minus IE-
SVS oratio-
nem nobis
composuit.

I.

Conjungimini mihi cælum ac terra, homines & Angeli, & omnes creaturæ venite mecum: laudemus, adoremus, & amemus omnes hunc Dominum. Omnes, ô Domine, laudamus te, & oramus te verbis, quæ tu nos docuisti ad petendam, & accendendam in nobis famem ac sitim amoris tui. Tu illa bene agnosces, quia tu es, qui illa docuisti. Tu debes ea exaudire, quia ideo ea tradidisti, ut exaudiremur. Per illa tu largiris viva & perpetua desideria te amandi, tibi que serviendi: quia ideo mandasti, ut dicamus

Solus Deus
est noster,
alia non
sunt nostra.

II.

Pater noster. Pater æterne, Pater supreme, Pater omnipotens, Pater infinite, Pater misericors, Pater amans nostri, Domine noster, qui scriptos nos habes in hoc tuo amore. Pater, qui sic es noster, ut extra te nihil aliud nostrum sit: & Pater, qui sic intueris omnes, ut filios tuos charissimos.

Excludi-
mur calo, ut
aspiremus
ad illud ex
radi terra,
& ostenda
mus nos ef-
se filios &
heredes
DEI

III.

Qui es in cælis. Hoc amore nos exspectas in cælesti domo, quam inhabitas. Eleva ad eam desideria nostra, quos tantisper inde excludis, non ut separemur à te, sed ut hinc traducamur ad te. Accipe tecum desideria nostra, ut cum fastidio rerum terrenarum, quæ sejungunt à te, semper ex toto, in toto, & cum toto nostro interno & externo, suspiremus ad te, ac respiremus in te.

IV.

Sanctificetur nomen tuum. Fac, Domine, ut æstime- mus magnitudinem, majestatem, ac divinitatem hujus nominis: Pater, fac, ut omnes cupiamus esse tui filii. Trahe totum mundum ad tui cognitionem. Animæ nostræ, membra nostra, desideria nostra, opera nostra, verba nostra ostendant nos esse filios tuos; & quòd suspiremus tantum pro tuo honore; tantum desideremus gloriam tuam, & obsequium tuum; ut videamur, Pater sancte, filii hujus divinæ sanctitatis.

V. Ad-

V. *Adveniat regnum tuum.* Fugiant à nobis tanquam ^{Si DEVS} filiis tuis, omnia, quæ nos volunt separare à te; ut solus tu regnes ^{regnet in} in animabus nostris. O Pater noster, aspice periculum, in quo ver- ^{nobis dif-} samur: accide hoc exilium, & adduc nos ad te. Quomodo sustines ^{ferat re-} Domine, ut amantes te non videamus te? Quòd si omnino est ^{gnum calo-} opus protrahi nostrum exilium, tu, Domine, bene potes nihilomi- ^{ste, quam-} nus esse in cordibus nostris. Veni, Pater, ac Domine, regna; hinc sit ^{dis volue-} habitatio tua. Si feceris hanc animam regnum tuum, cæleste diffe- ^{rit.} ratur, quamdiu volueris; quia neque hinc, neque ibi desidero aliud, quam ut regnes in me, & habeas totale dominium, & integram potestatem in anima nostra,

VI. *Fiat voluntas tua.* Ah Pater æterne! veni, extende, ^{Ad nihil} Domine, bonitatem tuam; posside omnia; fac, ut omnes tibi o- ^{prodest esse} bediant. Tu scis, quòd nihil prodest esse nostrum, si per hoc non ^{nistrum,} serviatur tibi, quantum potest. Omnes voluntates tuæ sunt aman- ^{nisi servia-} tissimi Patris; Patris, qui non spectat aliud, quam bonum nostrum. ^{mus Deo.} Quis est ergo, qui nos decipiat, ut confidamus alterius voluntati, quam tuæ? Vivat, ô vivat, Domine, hæc optima voluntas tua, & moriatur omnis aliã, ipsi contraria vel diversa. *Sicut in celo, & in terra!* In hac tua voluntate Curia cælestis degit quieta, contenta, segura, dives, sine timore, & confirmata in omni bono. Quid ergo terra, plena periculis & inimicis, velit fidere alteri voluntati quam tuæ? O Domine mi, tolle à terra hanc vanam præsumptionem: subjice eam tibi, sicut habes cælum subjectum.

VII. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quia su- ^{Sustenta-} stentationem vitæ nostræ restringis ad obedientiam, & omnes a- ^{mur gratiã} nimæ sustentantur paterna bonitate tua, & gratia; adjuva illas. ^{Dei & o-} ^{bedientiã.} Omni die vitæ nostræ visita nos cum gratia tua: & cum ea nos obligabis ad amandum te omnibus horis, ut omni die & omnibus horis refecti tuo spiritali cibo, amore ac desiderio, cum viva fame omni die, & hora suspiremus ad te, nihil aliud desiderantes. Incipe hodie, Domine, hoc opus; quia nescimus, an simus perventuri ad crastinum: semperque illud prosequere, donec advēniat illa dies, quæ non habet præteritum, nec futurum.

VIII. *Et dimitte nobis debita nostra.* non impediunt peccata nostra istum favorem. Debita te amandi, ac tibi serviendi

*Amandi
debitum
non condo-
nandum,
sed amore
soluendum.*

non dimitte mihi, Domine; quia cupio illa solvere, & quotidie augere; sed debita amoris, quem tibi subtraxi, ut in res viles & abjectas transferrem: hæc mihi condona, Domine; quia non possum satisfacere pro illis, nisi revocando amorem. En eum tibi restituo, frigidum & congelatum; purifica eum, sicut tibi placuerit pro satisfactione, & per misericordiam tuam dimitte mihi reliqua peccata. *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Promisisti mihi, Domine, te condonaturum, quando me obligasti ad totum dimittendum his, qui me offenderint, sicut tu totum dimittis. Quando ergo vis me in hac mea paupertate esse tam liberalem, quomodo tu poteris erga me parcus esse in tua magnitudine; Ego dimitto, sicut jubes: dimitte & tu, sicut promittis; ut inter te & me nullum sit obstaculum.

IX. *Et ne nos inducas in tentationem.* Fac, Domine, in me perfectum hoc opus; accipe curam mei, & libera me à tentationibus, quæ me perturbant. Pater æternæ, qui non vis filios tuos in terra tentari, ut pereant; & nôsti, quantum boni perdamus, si contingat nos vinci, tenta nos & proba nos, ut vis; sed pugna nobiscum, & vince in nobis per charitatem.

*Malitiosa
caro.*

X. *Sed libera nos à malo. Amen.* Vide, Domine, quàm sit malitiosa hæc caro, qua circumdati sumus: vide, quanta mala eam obsideant, eamque trahant ad se: vide quantis malis subjecti sumus nos pauperes filii tui in hoc exilio: vide, ut sine tuo auxilio nihil omnino possimus. O Pater cælestis, qui promisisti filiis tuis aquam vivam, ex cordibus eorum salientem ad te in vitam æternam: anima mea desiderat hanc sitim & aquam, seu panem vitæ. Exple hanc sitim, ut te solo relictus, non amplius admittere possim aliam famem ac sitim.

O Mater misericordiæ! quæ semper desiderabas, & semper te satiabas his bonis supernis, compatere miseris exulibus, filiis Evæ. Veniat per merita tua ille ignis de cælo, qui totum cor meum accendat. O Curia cælestis, quæ securè desideras, & abundanter satias desideria, quæ hinc habuistis; facite, ut semper desiderem bona, quæ vos habetis, ut per vestram intercessionem adjuver ad gaudendum iisdem. Amen.

ÆRUMNA